

**Simonnet, François-Nicolas - candidat
/ Bosquillon, Edouard-François-Marie
- président. - An post gravem, ab ictu
vel casu violento, capitis
contusionem, etiam mediocriter
suspecta cranii fracturâ vel fissurâ,
cutis unâ cum pericranio ad os usque
incidenda ?**

1778.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°126***



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUOD LIBET ARIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-sexta
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. EDUARDO - FRANCISCO - MARIA BOSQUILLON,
Equite, è Societate Medicâ Edimburgensi, Professore & Censore
Regio, Doctore Medico, Præside.

An post gravem, ab ictu vel casu violento, capitis contusionem, etiam mediocriter
suspectâ cranii fracturâ vel fissurâ, cutis unâ cum pericranio ad os usque incidenda?

L



ASCI-NE erat tanti? infantiam, somnum, tempora cibi, potus
& tædii si computes, pueri vix sumus, senes jam videmur. Quisque
tamen vult vivere: anus putida, miles ærumnolus, Irus egens,
senex calculosus, podagricus, silicernius. Media inter tormenta
mortem deprecamur, quocumque pretio fatum protelare avidi.
Amaritudine sanitatem redimimus. Medicinam tutelarem Deam
experiri cupimus cujuslibet pignoris dispendio. Jubet Medicina membrum resecari?
tollitur: adeo dulce est sperare seriùs mori! Ferrum in viscera cruentum adigit?
ignes inurit sauciis partibus? fiat: dummodò vivamus. Post gravem ab ictu vel

X Propugnata anno 1746

2

casu contusionem terebra admovenda est? admotam sanatus gaudet æger. Incertum an admovenda? cutemque & pericranium unâ evellenda censeas, ut liquidò contlet quid sit agendum? Urite, inquit æger, secate, radite, modò vivam. Apparatus sanè ipsâ terebrâ crudelior: at sæpè necessarius magis. Præceps quispiam è scalis aut loco edito cecidit? caput in lignum, ferrum aut lapidem, cranio duriora videlicet, impegit? vehemens sanè commotio. Totius cerebri moles immensa sedibus dimota suis divulsaque validè intus contremuit repercussa fortiter in parietes cranii? Forsan dissiluerunt & ipsi parietes fragminibusque (sanâ extus remanente cute) meninges torquent, vellicant, pungunt. Interdum sola adest contusio gravibus stipata symptomatis, etsi nulla adsit fissura aut fractura; aliquan'ò utrumque reperitur. In arenâ consilium capere hoc opus, hic labor. Rebus tam obscuris quis afferet lucem? Omne feret punctum qui unâ cum luce medicinam dabit. Hoc ut assequare nullus non movendus lapis.

I I.

FELIX nimum qui potuit rerum causas cognoscere! Sæpè fatis felix qui tantum rem ipsam posset cognoscere. A gravi capitis percussione magnorum malorum nascitur Ilias. Nec plerumque majora apparent: sæpè grandiora & præcipua latent intus: imò quæ latent ferè sola sunt vera mala: collisio scilicet substantiæ pulposæ cerebri in interiores cranii parietes, fugillatio, aut fractura in ipsis ossibus. Reliqua apparentia ut phrenitim, Emphysema, hæmorrhagias, febrem & cætera, signa tantum & effectuum effectus habeto. Per hæc, si apparent omnia simul & gravissima, imminensem vaticinare mortem: si minora urgent aut pauciora, cave fidas infidæ paci. Ignis latet suppositus cineri doloso. Ne temnas tamen signorum conjecturam. His magnitudinem mali præsertim experto & seni Medico conjicere datur. Ex dolore capitis acutiori, lancinante, cum stupore, tinnitu aurium, vomitu, cerebrum vehementer concussum, ibique nasci & ali abscessum judica. Ex frontis, oculorum, faciei intumescentiâ pericranium osque forsan ipsum valdè contusum credere est. His addè hæmorrhagias per nasum, illæsis in ictu partibus externis nasi, per oculos, per aures, iisdem positis, cranium fissum vix dubitare licet. Spasms miserè convellitur æger, delirat, truci aspectu terribilis è lecto furiosus exsilit? dura meninx, fissurâ internâ, etiamsi nihil in tabulâ cranii exteriori appareat, convulsa torquetur; at interdum Comate hæc omnia sopiuntur signa. Hic hæreret vel ipse Tiresias. Tunc judicium difficile. Paucis quos æquus amavit Omnipotens, hæc omnia certâ datur assequi conjecturâ. Haud facilè contusionem simplicem cutis cum levi & periculi experte commotione cerebri, ab ossis externæ tabulæ depressione discernas: contusionem externæ tabulæ ossis ab utriusque disruptione. Fissuram internæ seu vitreæ solam quis adeò Lynceus ut pervideat? Abscessum vix post hebdomadas, menses, annos adesse evincas. Juvandæ rationi quàm benè, ô bone Deus, addidisti sensus. Non jam sibi placeat adeò nec superbiat *Ratio* de fallaciâ sensus arguendo. *Ratio* definit hîc esse *ratio*, nisi sensus veniant in consilii partem & auxilium.

I I I.

LEVI tantum commotione exceptâ nullis gravibus stipatâ symptomatis, in utroque casu confert incisa cutis ad cranium usque & detectum illicò subjectum os, per incisionem pericranii. Sic Accem simul cum Medicinâ dubiis ægri rebus

3

afferet. Si adsit fractura, plaudes fanè ! At si osse nudato integrum os & fincerum appareat ; putas grande piaculum commississe, nec ullâ lustratione abludum ? Vulnere simplici cutem afflixisti ; nec pures ideò os esse *exfoliationi* permittendum : coalescet vulnus paucorum dierum spatio : ac non sine magno ægotantis juvamine contusum forsan pericranium incisione relaxabitur, detumescet facies, venæ cum internâ parte cranii committentes exonerabuntur ; tabum seu sanguinem concretum evoment, & si intus adsit commotio & abscessus, exterminabunt. At nisi remiserint dilucidè omnia symptomata post tres aut quatuor dies, cave vulnus coalescere permittas. Angulos plagæ, vel cruciatæ, vel stellatæ, vel cujuscumque figuræ plumæceolis sublevatos ab osse arceas, at, si perseveraverint, delirium, coma, convulsio, aphonia, oculorum tensio, suffusio, &c. terebram quamprimum admoveas. Ist hæc enim incisio vel per se remedium est gravium symptomatum ubi non adest fractura, vel indicium omnium certissimum fracturæ, si forsan adfuerit ; vel in utroque casu, si per se non medetur, viam non aliundè parabilem sternit ad ultimum omnium auxilium, Terebram.

I V.

PRINCIPIIS obsta ; medicinam ferò paraveris, cum immedicabile per moram factum fuerit vulnus. Turpe Medico non tanti æstimasse malum quanti erat æstimandum. Malè excusatus valeat cum suo *non putabam*, cum potuit scire, inspicere, propriis manibus palpare. In re periculi plenâ attendendum, timendum, cavendum quidquid luctuosum magis & portentosum. Agendum quasi certa salus operam sequeretur. Omnia tuta time ; in deploratis nunquam despera ; bonorum tamen verborum & promissorum haud prodigus indecenter. In negotio ancipiti viriliter operare, quasi penes te foret eventus. Cautè rem age & providenter, quasi omnia mortem intentarent. In cranio vehementer contuso cave fracturam, commotionem aut sugillationem, undè collectio materiæ stagnantis, corruptio, abscessus. Nec ideò sperare ac proinde agere te deterreat ingens accidentium cohors. Paucis quidem ex orci faucibus superas evadere ad auras, & ab ipso Averni limine remeare datum est : at quod pauci potuère, cur iste non poterit, & iste manu auxiliatrice adjutus. Conare magna : permitte Superis cætera. Unica via est incisio, quâ latens in osse vitium detegas, eâ solâ obliquæ fissuræ fraudem revelabis. Interdum solo pericranii tritu, vomitus, convulsio, febris, phrenitis, oculorum spasmus, tetanus, &c. collisioni capitis superveniunt. Laxatâ per incisionem pericranii crispaturâ, hi motus inordinati fibrarum atque hæc tam gravia symptomata levi operâ compressa quiescent. Ni remittant, ulterius ferro aggredere ipsum os ; parata via est. Tunc otiosum spectasse naturam pigeret, & fecisse lætaberis quæ puderet distulisse.

V.

SERIOREM ergò pœnitentiam dùm licet præveni cautus, incisione prudenter & peritè, pro ratione loci & magnitudine periculi factâ. Absit ut missa faciam quæsitâ aliundè magna præsidia, ut frequentes & copiosas sanguinis missiones, diætâ exquisitam, & quæcumque valent sanguinem concretum intus & extus admota resolvere. Sæpè doctâ plus valet arte malum, & quamvis nihil horum omiseris, vix in vado constituitur æger, Quid ? si neglexeris. Non me tunc emensorum quadraginta aut sexaginta dierum (post quos vita vulgò creditur incolumis & omnis periculi expers) elapsa series securum ideò præstiterit ; vel minimis sympto-

matibus adhuc perterrefiam. Minimus capitis dolor, me iudice, abscessum minaretur. Nec crudelem me facere medicinam quisquam arguat. Crudeliter illum misericordem dicito, qui, dum potest servare civem, metuit, mortem (grande sanè malum) levi malo propellere. Non in contusione, quam parva sequitur & externa tantum fugillatio, secandam cutem, secandum proponimus pericranium; at ubi hæmorrhagia, faciei tumor, delirium, vertigo, &c. gravia comitantur symptomata, etiamsi, illæsâ cute, certè non possit asseri fractum esse cranium, imò etiamsi cranium non esse fractum fere pro certo teneatur.

Ergò post gravem, ab ictu vel casu violento, capitis contusionem, etiam mediocriter suspectâ cranii fracturâ vel fissurâ, cutis unâ cum pericranio ad os usque incidenda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes D'ARCET, Professor Regius, Academiæ regalis Medicinæ Matritensis Socius, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ.

M. Ludovicus-Gilbertus BOYROT DE JONCHERES.

M. Carolus-Ludovic. LIGER, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in urbe & Comitatu Altißiodorensi.

M. Franciscus THIERY DE BUSSY, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in supremo Senatu Parisiensi.

M. Carolus SALLIN, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castellato.

M. Joann.-Stephanus GUETTARD, Regiarum Academiarum Parisiensis, Rupellensis, Florentinæ & Stokolmiensis Socius, Censor Regius & Historiæ naturalis Musæi serenissimi Ducis Aurelianensis Custos.

M. Hugo GAUTHIER Consiliarius Medicus.

M. Simon VACHER, Regis exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus Primarius.

M. Natalis-Maria DE GEYGLAND, Regiorum in Germaniâ Ducum & Militarium Nosocomiorum nuper Medicus.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS-NICOLAUS SIMONNET, Parisinus, in Supremo Senatu Patronus, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1778.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1778.